



**Geschichte der geistlichen Stiftungen, der adlichen
Familien, so wie der Städte und Burgen der Mark
Brandenburg**

[Urkunden-Sammlung für die Orts- und spezielle Landesgeschichte]

Riedel, Adolph Friedrich

Berlin, 1858

CCXVIII. Des Bischofs Albrecht von Halberstadt Privilegium für die
Augustiner Eremiten in seiner Diöcese, namentlich auch in Stendal, in der
Wische und auf der Heide in der Altmark, vom Jahre 1368.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54890](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54890)

Duferi, Iohanne Bismarke, Friczone de Roxtze, Coppekino Utenbuke, Conrado de Dornstede, Gherardo de Iercho, Iohanne Ryno, Hinrico Lenten, nec non Engelberto Gunteri cum pluribus aliis fide dignis.

Nach dem Original in Pfarrarchiv der Jacobikirche.

CCXVIII. Des Bischofes Albrecht von Halberstadt Privilegium für die Augustiner Eremiten in seiner Diöcese, namentlich auch in Stendal, in der Wische und auf der Heide in der Altmark, vom Jahre 1368.

Albertus, Dei Gracia et Apostolice sedis electus et confirmatus Halberstadenfis ecclesie Episcopus, Religiosis viris Prioribus ceterisque fratribus heremitarum ordinis sancti Augustini nostre dyocesis presentibus et futuris. Universalis ecclesie vinee Dominus Jesus Christus in vinea sancte sue ecclesie cultores veros sua sapientia infinita vos ordinavit, qui populis (pompis?) seculi abrenunciantes, spectaculum mundo facti estis ejus vineam colentes jugi famulatu. Ea propter dilectissimi ex pastoralis officii sollicitudine, cuius dignitatem licet inviti (immeriti?) gerimus, vos spiritualiter amplectimur brachiis eterne caritatis, pro eo et ex eo, quod vos nobis ac Clero nostro semper obsequiosos exhibere curastis, annuentes vestris piis desideriis nuper nobis porrectis, omnes gracias apostolice sedis, libertates, privilegia ac omnia, que sub bulla vera et inconvalsa demonstrare potestis, indulgencias quoque predictae sedis ac alias, quas a dominis archiepiscopis et Episcopis vos habere, certis ac veris instrumentis ostendere poteritis, gratiam insuper predicationis et confessionis, qua suffulti estis copiosis privilegiis Romanorum Pontificum benigno favore, secundum tenorem constitutionis Clementis dudum approbamus et presentibus confirmamus. Verum quia ad exequendum hujusmodi officia nobis personas per diffinitores vestrorum capitulorum provincialium presentatis examinatas et approbatas, certum numerum singulis conventibus deputantes; Nos ipsos fratres per totam nostram dyocesin benigno et graciofo favore admittimus, in nostri ac Cleri nostri oneris sublevamen, Acceptantes pro conventu Helmeftad. XIII sacerdotes ad predicandum et confessiones audiendum, Pro conventu Porte celi XII, pro conventu Quedlinburgensi totidem, et totidem pro conventu in Sangerhufen. Tres vero Terminarios cum suis fociis ex conventu Magdeburgensi in suis terminis Stendal scilicet Prato et Merica, quos quidem fratres ab omnibus prelati, cujuscunque conditionis existant, Abbatibus scilicet, Prioribus, Prepositis, Decanis, Archidyaconis, Archipresbyteris, Plebanis, Viceplebanis, Capellarumque Rectoribus per nostram civitatem et dyocesin constitutis, quibus presentes litere exhibite fuerint, In premissis actibus, puta confessionis, predicationis verbi divini, Dei impetitionibus consuets secundum tenorem constitutionis Clementis dudum sine omni contradictione admitti ac promoveri seriofius volumus et mandamus, presertim de gracia speciali adjicientes, ut omnibus graciis, libertatibus et privilegiis a nostris predecessoribus vobis concessis possitis uti, prout actenus consuevistis. Preterea omnibus loca vestra causa devotionis visitantibus manumque adjutricem sive in locis ipsis sive in termino vobis porrigentibus cunctisque predicationem a fratribus a nobis approbatis audientibus, XL dies singulis vicibus de inuncta sibi penitencia misericorditer in domino relaxamus. Insuper dicentibus Tria Ave Maria flexis

genibus ad sonum campane, qui immediate post completorium in loco predictorum fratrum trina vice pulsabitur, confisi defuper habundanti merito Jesu Christi salvatoris, XL dies indulgentiarum ob spiritualem devocionem, quam ad gloriosam virginem gerimus, fiducialiter condonamus. Datum in Langenstein, Anno Domini MCCCLXVIII, die prima mensis Februarii.

Historische Sammlung Heft II, S. 139—143.

CCXIX. Das Domstift zu Stendal bekundet die Stiftung eines Hospitals in der Judengasse zu Stendal, am 9. März 1369.

In nomine Domini Amen. Nos Johannes de Gartow, Dei gratia Decanus, totumque Capitulum Ecclesie Sancti Nicolai in Stendal tenore presentium notum facimus Vniuersis et singulis presentibus et futuris. Quod honestus et discretus Vir, Dominus Henricus, dictus de Pozewalke, Plebanus Ecclesie in Puwellinge, de nostra bona voluntate et unanimo nostro Consensu pro Salute ac remedio anime sue suorumque Progenitorum fecit, construxit, dotavit, infra dictam Civitatem Stendaliensem in Carrerea sive strata, que Judeorum dicitur, quoddam Hospitale, de cujus Area nobis duo denarii Brandenburgici annui Census in festo Martini solvendi debentur. In quo quidem Hospitali unum Altare in modum Oratorii et non in modum Capelle ut Beneficii Ecclesiastici seu Religiose Domus, construi et consecrari debet in honorem Cosme et Damiani ac Barbare Martyrum beatorum, Ut in ipso singulis Diebus missa non cantando sed submissa voce dicendo absque sollemnitate et pulsatione alicujus campane et absque alio signo quocunque, Hora nobis competenti duntaxat pro pauperibus inibi degentibus celebretur. Nola autem, sive parvula campana in elevatione corporis et sanguinis Jesu Christi pro tanti reverencia Sacramenti poterit manuali tymno (tinnulo) non per cordam, alias nulla campana in Hospitali predicto pulsari vel appendi debet, nec debebit aliquatenus in futurum, nec Cyminile, nec truncus pro oblationibus recipiendis poni debebit ibidem, Neque Tubula neque Cyminile ibi nec alibi in Ecclesiis sive Capellis Civitatis predicte portari debebit ad utilitatem et usum Hospitalis predicti et inibi degentium pro oblationibus et Elemolinis colligendis. Nec aliqua signa Beneficii Ecclesiastici, Capelle seu Religiose Domus debent ibi erigi vel pretendi sine nostro speciali et expresso consensu. Per Decanum autem Stendaliensem, qui pro tempore fuerit, deputabitur Clericus ydoneus, qui ad altare supradictum missam ut predictum, celebrabit. Cui quamdiu ad Celebrandam dictam Missam sustinetur qualibet septimana duo solidi Monete Brandenburgice de bonis ad presatum altare comparatis et deputatis, que bona sita sunt in Villa Elverstorp, expedite vel integraliter perfolventur. Quorum Reddituum summa est sex talenta denariorum Brandenburgicorum minus Solidis quinque. Nec tamen Clerici, qui per Decanum Stendaliensem ad celebrandam dictam missam fuerint deputati, dictum Oratorium seu Altare in beneficium Ecclesiasticum obtinebunt. Sed qualibet sexta feria septimane cujuslibet per supra dictum Decanum et Seniore Capituli tenentem in Stendal residenciam personalem notificato tamen hoc primitus Consulibus Stendaliensibus poterunt removeri, et loco ipsorum ammotorum per presatum Decanum et Seniore Capituli predicti alii Clerici ad faciendum similia subrogari. Clerici vero, qui ad dictum Oratorium seu altare Missam pro tempore celebrabunt, Decano Stenda-